

nominis vere amicorum, si patiantur perfidam Coloniam a matre, cui omnia deberet, digna plecti animadversio-
ne. Benigne ubique & accepti & auditi legati: nec fuit, qui non Cretensium facinus detestatus, sua Venetis auxilia benigne promiserit. Interea ingens classis decreta est: imperium Dominico Michaeli, qui praesidio maris antea praefuerat, est datum; terrestres copiae Luchino Vermio Veronensi per legatos Venetias accersito. Is in verba Principis juratus, fidam se operam Reipublicae navaturum, publica signa continuo accepit. Tributum ingens a civibus ad bellum non solum comparandum, sed alendum etiam, exactum; miles undique stipendio accersitus est. Et quum jam, contractis copiis, classeeque prorsus instructa, omnia ad protectionem spectarent, Vermius, ut sciret quibus viribus sibi bellandum esset, exercitum lustravit. Constat ad mille lectos equites, duoque peditum millia, praeter remiges sociosque navales, navibus impositos. Quinto idus Aprilis classis, quae tres ac triginta longas habuit naves, onerarias octo, domo profecta, circa nonas Majas Faschiacis littoribus, Candaci urbi vicinis, appulsa est.

Sed dum haec parabantur, interim Candacensium nobilium quidam, quum forte rescivissent quae post reditum legatorum Venetiis acta essent, comperissentque se in proscriptorum numero non esse relatos, spe futurae veniae adducti, coeperunt iis, qui in fide perstiterant, occulto studio favere. Multi quidem ab initio nefarium consilium averfati; curia & urbe abstinentes in suburbana loca & castella, quae in insula habebant, concessere. Principes interim defectionis, reputantes quantum sibi periculum non ab hostibus solum, sed a suis quoque civibus immineret, vehementer addubitare, ne quid illi, quos novis studiis vacillare senserant, per eos qui curia & urbe aberant, in se molirentur; apparebat enim, illos qui primo sententiis, inde absentes aperta detestatione obstitissent, confestim sub ipsum Venetarum copiarum accessum ad arma ituros. Et quamvis multi jam diversarum partium ha-

beren-